



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

3 Vtrum ea, quæ aguntur in Catechismo & exorcismo, aliquid efficiant, vel  
solum significant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

autem Carthag. 3. cap. 5. indicatur, sal solitum fuisse dari catechumenis loco Eucharistiae: quod de pane benedicto docuit August. lib. 2. de Peccat. merit. cap. 26. hoc autem sal prius benedicebatur, quam gustandum daretur catechumenis, vt constat ex ordine Romano, & ex more, quem nunc seruat Ecclesia, & ex Rabano lib. 1. de institutionibus Clericorum, ca. 27. habetur in cap. Ex hinc, de Consecrat. d. 4. Datur, inquit, baptizando sal benedictum in os, vt per saltypicum sapientiae sale conditus fetore careat iniquitatis, & ne à vermibus peccatorum, vltra putrenat. Optime Petrus Damianus epist. 15. c. 20. in quo sunt illa verba notanda: agens enim de sale, aqua, & chrismate subdit: Hoc quidem per se consideratum, nuda sunt elementa, nullumq; habere noscuntur mystica dignitatis arcanum, ad orationem autem Sacerdotis, & inuocationem diuini nominis, virtutis intime concipiunt sacramentum. Quarta caeremonia est: sputo nares, & aures baptizandi linire: in signum (ait D. Th.) receptionis, & approbationis doctrinae fidei: quam caeremoniam esse antiquissimam, constat ex Ambr. 1. de sacramen. c. 1. Ideo, inquit, tibi Sacerdos aures retergit, vt aperirentur aures tuae ad sermonem & ad eloquium Sacerdotis: & significat hanc caeremoniam sumptam esse ex Christi exemplo, qui os, & aures hominis surdi & muti retergit, vt ei sermonem & auditum restitueret, & subdit infra: Quare nares? vt bonum odorem accipias pietatis aeternae, & sit in te fides, deuotionisq; plena fragrantia. Idem fere docet Ambr. lib. de his, qui initiantur, c. 1. Verum est his locis non facere Ambrosium expressam mentionem salinae, qua nares, & aures tangebantur, indicat tamen, dum affert Christi exemplum, qui expuens retergit linguam, & aures alterius: de quo videndus est Beda Homilia 19. in Marcum, & significat etiã Aug. traç. 44. in Ioannem, quatenus dicit, cæcum salina Christi inunctum repræsentare catechumenum, Quinta caeremonia est, inunctio olei sanctificati, quã dicit D. Thom. solum esse ad significandum apertitudinem hominis ad pugnandum contra demones, quod sumpsit ex Ambrosio libro 1. de sacramentis, capite 2. & libro 3. capite 1. vt latius explicuit supra quaestione 66. articulo 10. ad secundum: vbi declarat, duplicem esse hanc vnctionem, alteram in peccatore, qua significatur fides recta animo suscepta, alteram inter scapulas, ad significandum exercitium bonae operationis, quia fides sine operibus mortua est, vel per priorem significatur munditia cogitationum in peccatore, per posteriorem vero, fortitudo laborum in scapulis: ita fere Innocentius in capite v. nico, §. quia vero, de sacra vnctione, Eandem caeremoniam indicat Basilius, libro de Spiritu Sancto capite 27. vbi inter traditiones non scriptas numerat benedictionem olei, quo catechumeni inunguntur, eiusdem meminit Origenes homil. 7. in Ezechiel. Cyrillus Hierosolymit. catechesi 2. Mytagogica, & Chrylostom. homil. 6. ad Coloss. Augustinus serm. 206. de tempore, Iustinus q. 137. ad Gentes. Clemens Romanus lib. 3. const. cap. 16. vbi optime Iurrianus. Atq; haec sunt caeremoniae, quas D. Thom. in hoc articulo attigit, quæq; Baptismum antecedunt: alias vero, quæ subsequuntur, explicat at sequentibus.

ARTICVLVS III.

Verum ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant,

a. d. q. 2. a. 93

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod ea quæ aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid, sed solum significant. Si enim puer post exorcismos moriatur ante Baptismum salutem non consequatur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorum, quæ in sacramentis aguntur, vt homo consequatur salutem, vnde & Marci vltimo dicitur: Qui crediderit & ba-

puzatus fuerit, saluus erit. Ergo ea, quæ aguntur in exorcismo nihil efficiunt, sed solum significant.

2. Præterea. Hoc solum requiritur ad sacramentum noua legis, vt sit signum & causa, vt supra dictum est. Si ergo ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant, videtur, quod singula sint quedam sacramenta.

3. Præterea. Sicut exorcismus ordinatur ad Baptismum, ita etiam, si aliquid in exorcismo efficiatur, ordinatur ad effectum Baptismi. Sed dispositio ex necessitate præcedit formam perfectam, quia forma non recipitur nisi in materia disposita. Sequeretur ergo, quod nullus posset consequi effectum Baptismi, nisi prius exorcizetur, quod patet esse falsum. Non ergo ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt.

4. Præterea. Sicut quedam aguntur in exorcismo ante Baptismum, ita etiam quedam aguntur post Baptismum, sicut quod sacerdos baptizatum chrismate ungit in vertice. Sed ea quæ post Baptismum aguntur, non videntur aliquid efficiere, quia secundum hoc effectus Baptismi est imperfectus. Ergo nec ea, quæ ante baptismum aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt.

Sed contra est, quod Augustinus dicit, in libro de Symbolo: Partuuli exufflatur & exorcizatur, vt pellatur ab eis diaboli potestas maligna, qui decipit hominem. Nihil autem agitur frustra per Ecclesiam. Ergo per huiusmodi exufflationes, hoc agitur, vt demonum potestas expellatur.

Respondendo dicendum, quod quidam dixerunt, ea, quæ in exorcismo aguntur, nihil efficiere, sed solum significare, hoc patet esse falsum, per hoc, quod Ecclesia in exorcismo imperatus verbis virtutem ad expellendam demonis potestatem, puta, cum dicit: Ergo male dicte diabole exi ab eo, &c. Et ideo dicendum est, quod aliquid effectum habent, differenter tamen ab ipso Baptismo. Nam per Baptismum datur homini gratia, ad plenam remissionem culpæ. Per ea vero quæ in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutari gratia percipiende: Quorum vnum est impedimentum extrinsecum, prout demones hominis salutem impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per exufflationes, quibus potestas demonis pellitur (vt patet ex inducæ autoritate Augustini) quantum scilicet ad hoc, quod non præset impedimentum sacramentis suscipiendo. Manet tamen testas demonum in homine, quantum ad maculam peccati, & reatum pena, quosque peccatum per Baptismum tollatur. Et secundum hoc Cyprianus dicit: Scias diaboli nequitiam posse remanere vsque ad aquam salutarem. In Baptismo autem omnem nequitiam amittere. Aliud impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originali peccati habet sensus præclusos ad percipiendam salutis mysteria. Vnde Rabanus de institutione Clericorum dicit, quod per salinam typicam & sacerdotis tactum, sapientia & virtus diuina salutem catechumeni operatur, vt aperiantur ei nares, ad percipiendum adorem nominis Dei, vt aperiantur ei aures, ad audiendum mandata Dei; vt aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum.

Ad primum ergo dicendum, quod per ea quæ aguntur in exorcismo, non tollitur culpa, propter quam homo punitur post mortem, sed solum tolluntur impedimenta recipiendi remissionem culpe per sacramentum, vnde post mortem exorcismus non valet sine Baptismo. Præpositus tamen dicit, quod pueri exorcizati, si moriantur ante Baptismum, minores tenebras patiuntur. Sed hoc non videtur verum, quia tenebræ illæ sunt carentia diuina visionis, quæ non recipit magis & minus.

Ad secundum dicendum, quod de ratione sacramenti est quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remissionis culpæ, vel supplet aliquid hominis defectum. Quod quidem non fit per ea quæ aguntur in exorcismo, sed solum huiusmodi impedimenta tolluntur, & ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quedam.

Ad tertium dicendum, quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem, est fides & intentio, vel propria eius, qui baptizatur. si sit adultus, vel ipsius Ecclesie, si sit parvulus. Ea vero, quae aguntur in exorcismo, ordinantur ad remouendum impedimentum, & ideo sine eis potest aliquis consequi effectum Baptismi. Non tamen sunt huiusmodi praeuertenda, nisi in necessitate articulo. Et tunc cessante periculo debent suppleri, vt seruetur vniformitas in Baptismo. Nec frustra suppleantur post Baptismum, quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur, ita potest impedi postquam fuerit perceptus.

Ad quartum dicendum, quod eorum, quae aguntur post Baptismum circa baptizatum aliquid est, quod non solum significat, sed efficit, puta, inunctio fit in vertice, quae operatur conseruationem gratiae baptismalis. Aliquid autem est quod nihil efficit, sed solum significat, sicut quod datur ei vestis candida, ad significandum nouitatem vitae.

COMMENTARIUS.

Quaestio huius articuli ex professo à nobis supra disputata est, tractando de sacramentalibus in genere, & in prima sectione huius disputationis eam iterum sufficienter attigimus, quapropter nihil de illa addendum occurrit, nec Diuus Thomas littera indiget aliqua explanatione: solum in solutione ad certum, aduertendum est, quod Diuus Thomas docet, has caeremonias tempore necessitatis praeuertendas esse, quia neque ad sacramentum, neque ad effectum eius sunt simpliciter necessariae, nihilominus tamen, etiam si prius Baptismus sit priuatim datus, transacto postea periculo eas esse adhibendas solennitatem in Ecclesia: Vt seruetur (inquit) vniformitas in baptismo. Atq; hoc seruat vsus Ecclesiae, vnde ad Ecclesiasticum praeceptum pertinet, neque tunc carent haec caeremoniae debito vsu, quia licet sacramentum non sit iterandum vilo modo, nihilominus ad illius ornatum & reuerentiam, & publicam solemnitatem, etiam tunc haec omnia ordinantur, & suam retinent significationem, & efficaciam, quam habere possunt.

In solutione ad quartum explicat Diuus Thomas duas caeremonias, quae Baptismum consequuntur. Prima est inunctio Chrisimatis, quae fit in vertice baptizati, quam dicit habere aliquam efficaciam ad conseruationem gratiae baptismalis, scilicet per modum imperationis, vt supra explicatum est. Est autem haec vnctio, valde diuersa ab illa, quae fit in confirmatione, nam illa prior est caeremonialis, & fit in vertice, posterior vero fit in fronte, & est substantialis materia sacramenti Confirmationis. Vnde illa fieri potest à simplici sacerdote: haec tantum ab Episcopo, & ideo fortasse illa introducta est, quia non semper adeit Episcopus, qui possit confirmare. Est autem haec caeremonia antiquissima, vt constat ex Concilio Arausico. cap. i. Innocent. i. epist. i. ca. 3. & Terrulliano libro de Baptismo ca. 7. Iustino dicta quae est. 137. Basil. d. ca. 27. de Spiritu sancto Nazian. oratione 40. de Baptismo, Augustino lib. 15. de Trinitate cap. 26. lib. 4. de symbolo ca. 10. Hieronymo Dialogo contra Luciferianos, vbi ratione huius vnctionis dicit non licere Presbyteris sine Chrisimate baptizare, & Cyrillo Hierosolymite. Catechesi tertia myltagogica, ac denique Ambrosio li. 2. de sacramentis. c. 7. & li. 3. c. 1. Accipis, inquit, mysterium, hoc est, vnctum supra caput. Quare supra caput: quia sensus sapientis in capite eius: frigit enim sapientia sine gratia, sed vbi sapientia accepit gratiam, tunc opus eius incipit esse perfectum. Est autem obseruandum ex capite. Si quis de alio, de Consecratione d. 4. hanc vnctionem faciendam esse ex nouo Chrisimate, & non ex veteri, nisi adit mortis periculum. Quod si quis contrarium tenuerit (ait textus) propria temeritate, ipse in se suae damnationis protulisse sententiam manifestatur.

Quae verba aperte indicant esse praeceptum, eiusque transgressionem, esse graue peccatum, & ita etiam notauit Nauarrus in sum. c. 22. num. 75. & ca. 25. n. 75. colligitur ex glossa in c. Quoniam, de sententia excommunicum. in 6. verbo (Dubium) vbi ait, depone sacerdotem, qui in hoc delinquit, & citat praedictum decretum. Si quis de illo. Vbi nihil de hac poena in speciali dicitur.

Secunda caeremonia, cuius Diuus Thomas in eadem solutione meminit, est, quod post Baptismum induebatur vestimentis albis, quam caeremoniam dicit, nihil efficere, sed significare nouitatem vitae, quae caeremonia est etiam antiquissima, vt constat ex Dion. supra, Ambr. lib. de his, qui initiantur, capi. 7. August. serm. 157. de temp. Greg. Turon. lib. 5. Hist. cap. 11. & Rabano lib. 1. de institut. Clericor. c. 29. & lib. 2. cap. 39. vbi ait, solitos fuisse baptizatos vt vestimentis albis per tota octauam Paschae, & ideo dies octaua vocatur Dominica in Albis, quia eo die deponebant baptizati alba vestimenta. Et huius caeremoniae vestigia adhuc manent in baptismis adultorum, qui temporibus Paschae & Pentecostes fiunt in Romana Ecclesia, in baptismo autem paruulorum sacerdos operit caput infantis candida veste.

Præterea, has caeremonias à Diuo Thoma tractatas, seruat Ecclesia: aliam, videlicet dandi cereum acensum homini iam baptizato, quae etiam est antiquissima, vt constat ex Gregorio Nazianzeno orat. 40. in sanctum Baptismum, vbi inquit, haec caeremonia significari fidem viuam, quam baptizatus semper habere debet, vsque ad finem vitae, & Gregori. Turon. loco citato ad hanc caeremoniam alludens inquit. Flagrabant cerei, lampades resurgebant: & Nicephorus lib. 3. Hist. c. vltimo, & Iacobi Alcuini de diuinis officiis cap. de Sabbato sancto. Rursus olim hominibus baptizatis lac & mel praegustanda dabatur ad infantiae spiritualis significationem, vt ait Hieronymus dialogo contra Luciferian. Vnde Dominica in albis canitur. Quasi modo geniti infantes lac concupiscite. Addit vero idem Hieronym. in 55. caput Isaie, vsq; ad sua tempora in Ecclesiis Occidentis obseruatum esse, vt renatis in Christo vinum lacq; tribuatur, sed haec caeremonia iam non est in vsu. Sicut neque alia de osculo pacis, cuius meminit Cypr. lib. 3. epist. 8. neq; alia de lotionem pedum, de qua mentionem facit Ambr. lib. 3. de sacramentis, cap. 1. Quam tamen non fuisse receptam, ne illa lotio existimaretur esse de substantia Baptismi, docet August. epistola. 119. cap. 18. imo prohibita videtur in Concilio Eliber. cap. 48.

ARTICVLVS IV.

Verum sit officium sacerdotis, catechizare & exorcizare baptizandum.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod non sit sacerdotis, catechizare & exorcizare baptizandum. Ad 3. q. 65. officium enim ministrorum pertinet habere operationem super immundos, vt Dion. dicit 5. cap. Eccles. Hierar. Sed Catechumeni, qui instruuntur in catechismo, & energumini, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos, vt ibi Dion. dicit. Ergo catechizare & exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

2. Præterea, Catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturam, quae in Ecclesia per ministros recitatur, sicut enim per lectores in Ecclesia legitur vetus Testamentum, ita etiam per Diaconos & subdiaconos legitur nouum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. Similiter etiam Exorcizare, vt videtur, ad ministros pertinet, dicit enim Isid. \* in quadam epistola, Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, & dicere manusque super energumenos & catechumenos in exorcismo imponere: non ergo pertinet ad officium sacerdotis, catechizare & exorcizare.

Nauarr.

Cur indue- tur vestimen- tis albis.

Dionys. Ambros. Augustin. Greg. Tur. Raban.

Cereus accen- sus cur dan- tur baptizato.

Greg. Naz. Greg. Tur. Niceph. Alcuinus.

Hieron.

Cypr. Ambr. August. Conc. Eliber.

Cicero. D. Thom. D. Thom.

Cicero. D. Thom.

Greg. Naz. Greg. Tur. Niceph. Alcuinus.

Cicero. D. Thom. D. Thom.

Cicero. D. Thom. D. Thom.

Cicero. D. Thom. D. Thom.

Cicero. D. Thom. D. Thom.